

*& grave pariunt periculum animarum.* Refert. *cap. 3. de Privileg.* Rediere hæc querelæ & in Concilio Lateranensi IV. c. 12. *de Excess. Privil.*

36 Recentiorum Ordinum, qui tum fere emerant, Fundatores alumnos suos ab omni privilegio exemptionis volvere alienissimos. Præceperat S. Franciscus (a) firmiter Fratribus universis per obedientiam, quod, ubicunque sint, non audeant petere aliquam literam in Curia Romana. Hoc, inquit, *meum, & Fratrum meorum est privilegium, nullum habere privilegium super terram, sed omnibus obedire, & inferiores nos omnibus reputare.* Unde sequi videtur, quod S. Franciscus etiam inhibuerit à suis filiis peti literas exemptionis.

37 In schismate Avenionensi successit profusio exemptionum maxima. Tunc enim uterque æmulum per has gratias Ordines, Capitula, personasque particulares, siqua voluissent auctoritate, in suas partes trahere sategerat. Martinus V. in Concilio Constantiensi (b), paucis exceptis, omnes exemptiones, inde ab obitu Gregorii XI. concessas, revocat, atque Ecclesias, Monasteria, & alia loca in pristinum Ordinariorum jurisdictionem restituit, addita notabili clausula: *Non intendimus exemptiones de cætero facere, nisi causa cognita, & vocatis quorum interest.*

38 In tanta confusione privilegiorum ad exemplum religiosorum corporum non tantum Capitula Canonicorum, & Universitates studiorum, sed & singulares personæ regulares, sæcularesque variis titulis exemptiones arrogare cœperant. Expunxit has Concilium Tridentinum (c), quia *perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitari, & occasionem laxioris vitæ exemptis præbere dignoscuntur.*

Cap. 5.  
De Regul.  
nov. Jur.

39 Regulis novi juris exemptio, utpote à jure communi exorbitans, odiosa censetur, ut inde ad ipsum verborum tenorem restringi mereatur. Quippe exemptiones laxius, quam par sit, acceptæ in excessus degenerant, & abusus. c. 12. *& passim de Excess. Prælat.*

40 Reliquis novi juris argumentis constat, sæpe dubitatum fuisse, an, & quæ nonnullis formulis exemptio data intelligatur? Rescripsit Innocentius III. illa formula, qua nonnulli in protectionem Sedis Apostolicæ dediti, receptique essent, haud exemptionem concessam videri. c. 18. *de Privil.*

Hoc

(a) S. Francisc. Apophteg. (b) Concil. Constant. sess. 43.  
(c) Trid. sess. 24. cap. 11.

Hoc argumentum ergo apparet, Cluniacenses injuste exemptionem sibi arrogasse, eo quod Fundator Monasterium in tuitionem SS. Apostolorum Petri & Pauli reliquerit. Quid rectius, quam quod S. Bernardus distinxit: *Aliud est, quod Fundatorum largitur devotio; aliud, quod molitur ambitio impatiens subjectionis.* Illa nimirum largitur protectionem adversus oppressiones, & infestationes: hæc vero impatiens subjectionis molitur jugum canonicæ subordinationis abjicere.

41 Fundator Cluniacensis cavet, ut Monachi Romanæ Ecclesiæ pro illa protectione quemdam censum præstarent; utpote per quinquennium Romæ ad limina Apostolorum ad luminaria ipsorum concinnanda decem solidos persolvant. Absit, vero, ut vel hic census ad exemptionem procurandam fecerit. Declarat Alexander III. *Si ad indicium perceptæ protectionis census persolvitur, non ex hoc juri diocæsani Episcopi aliquid detrahatur.* Refert. *cap. 8. de Privil.*

42 Juxta Bonifacium VIII. oportet disertis formulis exemptionem apparere. Tales sunt, si Papa de aliqua Ecclesia dicit, quod Ecclesiæ Romanæ anuum censum solvat ad indicium perceptæ libertatis: aut si Papa in aliquo privilegio, vel scriptura, vel sententia, quæ directe spectat causam exemptionis, pronuntiet, eam ad jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere, aut expresse aliunde asserat, ipsam esse exemptam, eam juris B. Petri existere, vel ad Romanam Ecclesiam simpliciter, vel specialiter, & sine medio pertinere; aut eam esse liberam, eam potiri Romanæ Ecclesiæ libertate, eam in hoc prærogativa gaudere speciali; Episcopo jus non esse, in ea Cathedram collocandi, seu ordinationem quandam vel levissimam faciendi &c. c. 10. *de Privil. in 6.*

43 Ex sententia Papæ, si aliqui recipiantur *in proprios, & speciales subditos*, censentur exempti. Non sic vero, *si in proprios, & speciales filios.* Romanæ Ecclesiæ sint suscepti; tales quippe exempti propterea non existunt. *ibi.* Juxta Glossam filiatio enim amorem denotat; specialis subjectio exemptionem exprimit, quia, si aliis subjecti essent, speciales subditi Romanæ Ecclesiæ non dicerentur.

44 Quid vero, si dubia sit exemptio? Quia jurisdictio Episcopi in omnes Ecclesias suæ Diocæsibus jure communi fundata est, non attenditur vel privilegium, vel possessio, si exemptio justo titulo, diuturnave possessione destituta appareat. c. 7. *de Privil. in 6.*

45 Exemptiones ergo non tantum plene probandæ sunt, sed & intra tenorem privilegii concludendæ, ut non recedatur à jure communi, nisi quatenus ipse tenor privilegii re-

cedere cogit. Oportet enim tenorem literarum diligentius examinare. *c. 7. & 8. de Privil.*

46 Ex ipso proinde tenore privilegii de qualitate exemptionis ratio ineunda est. Dividitur enim exemptio in personalem, localem, & mixtam. Personalis est, qua particulares duntaxat personæ eximuntur, nulla habita ratione loci. Locales vero sunt, quæ fiunt loco, vel Monasterio, ita ut personæ sint exemptæ cum respectu ad locum. Meminit utriusque privilegii Pontifex. *c. 3. de Privil. in 6.*

47 Inde declarat Concilium Lugdunense, quod, cum exemptio localis referatur ad locum, personæ eo loco exemptæ nihilominus ratione delicti, contractus, aut rei sitæ coram locorum Ordinariis conveniri queant; si nimirum delictum commissum, vel contractus initus, aut res sita sit in loco non exempto. *c. 1. ibi.*

48 Per exemptionem loci, utpote Ecclesiæ, vel Monasterii personæ, quæ proprie ad eum locum pertinent, veluti Monachi, Canonici, Conversi, & perpetuo Oblati, exemptæ intelliguntur; sed non alii Presbyteri, vel ministri, qui Parochianorum curam habent, utpote quoad ea, quæ curam animarum spectant, nec Parochiani exempti censentur, quia non tam ad Ecclesiam Conventualem, vel Collegiatam, quam ad Ecclesiam Parochialem sub ea qualitate referuntur. *cap. 9. de Privil. in 6.*

49 Exemptio data Ecclesiæ claustrali, aut Collegiatæ extendi nequit ad functiones Pastorales. Si enim in unam, eandemque personam concurrant diversæ qualitates, exemptus sub una qualitate non censetur exemptus & sub alia qualitate. Hoc argumento decidit Innocentius III., Capellanos Ducis Burgundiæ, exemptos intuitu Capellæ Palatinæ, non posse illud privilegium protendere ad functiones Ecclesiarum Parochialium, quas tenent. Alia est enim qualitas Capellæ Regiæ, alia Parochiæ. *c. 16. de Privil.*

50 Quantacunque demum sit exemptio loci, vel personæ, ea tamen Diœcesin haud dismembrat. Manent enim exempti in ipsa Diœcesi, & membra Diœcesis, quamvis privilegiata. *c. 19. de Offic. Judic. Ord. & ibi Interpr.* Oportet enim distinguere Ecclesias exemptas in Diœcesi ab Ecclesiis nullius diœcesis, quæ neque sunt in diœcesi, neque de diœcesi. Quippe status diœcesis nullius liberat non tantum à subjectione, sed etiam à situatione, & denominatione; exemptio vero tantum à subjectione.

51 Denique exemptio, instar emancipationis, non liberat à jure reverentiali. Quacunque enim ratione exempti sint

sint à jurisdictione, & potestate Ordinarii, cui quasi subiecti nascuntur, ea tamen, quæ reverentia sunt, ipsi denegare nequeunt, quia ad reverentia exemptio haud porrigitur. *c. 16. de Offic. Judic. Ord. & ibi Interpr.*

52 Interea occasione recentiorum exemptionum auctus est numerus corruptelarum, & quærelarum. In Concilio Viennensi jactatum est consilium abolendi tam infaustas emancipationes. Tum solus Ordo Cisterciensis Papam audiit antedicti Concilii celebrationem, pro exemptione sub pristina pacifice obtinenda. Quod & obtinuit.

53 Redire quærelæ & in Concilio Tridentino. Contentabant præ reliquis Germani (a), revocandas omnes exemptiones contra jura communia passim concessas, Monasteria omnia sub Episcopi potestate constituenda, sub cujus sunt Diœcesi.

54 Concilio Tridentino moderamina præplacuerunt. Statuit Concilium (b): Nemo secularis Clericus cujusvis personalis (privilegii prætextu) vel regularis extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii prætextu, tutus censeatur, quo minus si deliquerit, ab Ordinario loci tanquam Sedis Apostolicæ delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri & corrigi valeat.

55 Quis ergo censetur Regularis extra Monasterium degens? Juxta Decretum S. Congregationis censetur ille extra Monasterium degere, qui non vivit sub Superiore conventualiter. Præcipit alibi Concilium (c), ut Regulares, qui studiorum causa, mandato Superiorum, ad Universitates mittuntur, in Conventibus sub Superiore conventualiter habitent; alioquin ab Ordinario contra eos, velut extra claustrum degentes, procedatur.

56 Sed quid? Si in Monasterio degentes, extra claustrum delinquant? Innovat Tridentina Synodus (d) ea circa Decretum Concilii Lugdunensis, quo declaratur, quod Regulares, quantacunque gaudeant libertate, nihilominus ratione delicti, in loco non exempto commissi, coram locorum Ordinariis conveniri queant. *c. 1. de Privil. in 6.*

57 Amplius apparet Decretum Concilii Tridentini (e), quo decernit, ut Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterii degit, & extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandaloso, Episcopo instante, à suo Superiore, intra tempus ab Episcopo præfigendum, severe puniatur, ac

(a) De Reform. art. 4 (b) Trid. sess. 6. cap. 8 (c) Idem sess. 25. de Reg. cap. 8. (d) Trid. sess. 7. cap. 4. (e) Trid. sess. 25. de Regul. cap. 14.

de punitione ipsum Episcopum certiore faciat: sin minus—delinquens ab Episcopo puniri possit. Juxta Barbosam S. Congregatio declaravit (a), Episcopum posse statim habita notitia delicti, informationem capere, eamque ad Superiorem delinquentis ablegare, ut nequeat ignorantiam prætexere; atque unicam monitionem sufficere Episcopi, ut intra præfixum tempus Superior delinquentem punire teneatur: quo facto Superior regularis tenetur de punitione ipsa, & sententiæ executione Episcopum certiore reddere. Atque hoc Decretum sibi locum vindicat, tametsi Regularis etiam intra ipsam Ecclesiam, seu locum exemptum delinquat, si tam notorium sit delictum, ut populo scandalo sit.

58 Quantum & ad causas civiles statuit Concilium, quod in causis civilibus mercedum, & miserabilium personarum Clerici seculares, aut regulares extra Monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiamsi certum Judicem à Sede Apostolica deputatum, veluti Conservatorem, in partibus habeant; in aliis vero, si ipsum Judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tanquam in hoc à Sede Apostolica delegatis conveniri, & jure merito ad solvendum debitum cogi, & compelli possint; privilegiis, exemptionibus, Conservatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus adversus præmissa nequaquam valituris. Plerisque locis Conservatorum usus haud superest, unde Sæculares, & Regulares in civilibus coram Episcopis conveniendi sunt.

59 Ait alibi S. Synodus (b): Si Episcopi in suis Ecclesiis resederint, quoscunque seculares Clericos, qualitercunque exemptos, qui alias suæ jurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus, & delictis, quoties, quando opus fuerit, etiam extra visitationem, tanquam ad hoc sedis Apostolicæ Delegati, corrigendi, & castigandi facultatem habeant; quibuscunque exemptionibus—minime suffragantibus.

60 Exemptio Capitulorum præcipue Cathedralium reliquis invisior est. Decernit S. Synodus (c), quod Capitula Cathedralium; & aliarum majorum Ecclesiarum, illorumque personæ nullis exemptionibus—tueri se possint, quo minus à suis Episcopis, & aliis majoribus Prælatibus per se ipsos, vel illis quibus sibi videbitur, adjunctis, juxta canonicas sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi, emendari, etiam auctoritate Apostolica, possint, & valeant.

61 Extra visitationem statuit Synodus Tridentina (d), ut

(a) Barbos. alleg. 150. (b) Sess. 14. cap. 4. (c) Trid. sess. 6. cap. 4. (d) Sess. 25. cap. 6.

Capitulum initio cujuslibet anni eligat ex Capitulo duos, de quorum consilio, & accessu Episcopus, vel ejus Vicarius tam in formando processu, quam in cæteris omnibus actibus usque ad finem causæ inclusive, coram Notario tamen ipsius Episcopi, & in ejus domo, aut consueto tribunali procedere teneatur &c. Et infra: In criminibus tamen ex incontinentia provenientes—& in atrocibus delictis, dispositionem, aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium eludatur, & ideo opus sit personali detentione, possit initio solus Episcopus ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere; servato tamen in reliquis ordine præmisso. Subdit S. Synodus: Hæc autem omnia, & singula in iis Ecclesiis locum non habeant, in quibus Episcopi, aut eorum Vicarii—quocunque alio jure majorem potestatem, auctoritatem, ac jurisdictionem.

62 Alibi passim propositum fuit Concilii, restituere Episcopis legitimam jurisdictionem in exemptos in iis, quæ Regularibus, aut Canonicis sub alia qualitate competunt. Inde Regulares, Canonicique exempti (a), si administrationem, aut curam habeant Hospitalium, Capellarum, fundationum, Confraternitatum, aliarumque domum, aut piorum locorum non exemptorum, annuam Episcopo rationem reddere debent, utpote Episcopo quoad illam administrationem subjecti.

63 Eodem ex capite nec Capitulorum (b), nec Monasteriorum exemptio extenditur ad ea, quæ curam animarum sæcularium personarum, Episcopo subjectarum, spectant, quia hæc functiones Pastorales non Regularibus, ut Regularibus, sed ut Sacerdotibus curatis conveniunt.

64 Denique noluit S. Synodus exemptiones extendi ad leges communes in materia communi. Hinc declarat Tridentinum Concilium, censuras inflictas diesque festos ab Episcopo indictos esse & à Regularibus observandos.

\* 65 Missis reliquis, quid religiosis Ordinibus consultius (c), quam puriores fontes regularis instituti resalutare? Postquam Monachi passim ad sacros Ordines aspirarunt, oportet Monasteria veluti Seminaria cultioris Cleri spectare. Inde enim olim conquod Episcopi meliores, & perfectiores ex claustris tigit, in suum Clerum transcripserint, & recentiores religiosi Ordines sodales suos Episcopis, & Pastoribus veluti Cooperatores, & Subsidiarios addixerint. Juxta

Rkk 2

re-

(a) Trid. sess. 22. c. 8. & 9. & sess. 25. c. 8. (b) Trid. sess. 21. cap. 8. & sess. 25. cap. 11. de Regul. (c) Sess. 25. de Regul. cap. 12.

regulam S. Siricii, *Monachos, quos tamen morum gravitas, ac vitæ, & fidei institutio sancta commendat, Clericorum officii aggregari, & optamus, & volumus.* Absit, ut quæstuariorum Mystarum ordinandorum in claustris indiscretioris regiminis. Abbas sit Magister ad instructionem imperitorum, Superior ad correccionem dyscolorum, Confrater ad conservationem Religiosorum, Minister ad dispensationem communium bonorum. Inquit S. Bernardus (a): *Neque enim, quia Prælati Monachis, ideo non Monachi: nempe Monachum facit professio, æqualis æquales, Prælatum necessitas instructionis, & correctionis regularis.* Quid à tam diversis relationibus regularis regiminis alienius (b), quam quisque typhus vel dominationis, vel ambitionis? In Germania Congregatio Bursfeldensis Abbatum Benedictinorum, reformationis causa, usum, & privilegium Pontificalium ejuravit. Ait S. Bernardus. *Dicite pauperes, si tamen pauperes, in sancto quid facit aurum? Et quidem alia causa est Monachorum, alia Episcoporum — Nos vero qui jam de populo exivimus, qui mundi queque pretiosa, ac speciosa pro Christo reliquimus, qui omnia pulchre lucentia, canore mulcentia, suavolentia, dulcè sapientia, tactu placentia, cuncta denique corporea oblectamenta arbitrati sumus ut stercora, ut Christum lucrificiamus, quorum, quæso; in his devotionem excitare intendimus? Quem, inquam, ex his fructum requirimus? stultorum admirationem, an simplicium oblectationem? An, quoniam commixti sumus inter gentes, forte didicimus opera eorum, & servimus adhuc sculptilibus eorum? Ajebat olim ea occasione Ratherius Episcopus Veronensis: Sicut enim Monacho pio, & docto, nihil sanctius, ita nihil hypocrita est sceleratius.*

(a) S. Bern. supr. (b) Apol. ad Guilliel. Abb. cap. 11.

## INDEX.

**A**  
**Abbat**es propria gaudent jurisdictione. 304. Episcopis sub-  
 jecti. 410. illorum electio libera. 412. & seq. exempti quoad  
 quænam. ib. proclivitas quoad exemptiones. 416. & seq.  
 licet tales manent Monachi. ib. nimium insolescunt. ib.  
**Absolutio** à censuris quando datur. 405. quantum ad eam  
 habetur distinctio inter censuras ferendæ, & latæ senten-  
 tiæ. ib. à quibus dari potest. ib. & seq. à reservatis Pa-  
 pæ hic solus absolvere potest, nisi quis specialem licen-  
 tiam habuerit. 407. de irregularitatibus quisnam illam dat.  
 ib. excommunicati quomodo eam petere possunt. 408. quoad  
 cautelam quænam. ib. sit libera. ib. eam non petens de hæ-  
 resi suspectus. ib.  
**Acceptio Personarum** vitetur in provisione beneficiorum. 159.  
 quomodo definitur. ib. quando committitur. ib. quantum  
 crimen. 163. & seq.  
**Accusatio** qualis olim admittebatur. 342. & seq. & institue-  
 batur. 343. qualis nunc. ib.  
**Accusatus** citari, capi, & carceri tradi potest. 345. quando  
 examinandus. 348. ubi judicetur. 358.  
**Adulterium** quomodo olim punitum. 292. & nunc. ib. & seq.  
 an circa illud differentia in muliere & viro. 293. turpis est  
 quæstus ex eo factus. 294.  
**Advocati Ecclesiarum:** eorum origo. 76. officium. 77. circa  
 eos corruptelæ. ib. eos eligere relinquitur Ecclesiis. 78.  
 nunc sunt ipsimet Principes. ib.  
**Advocati** in Judicis: eorum officium. 314. dotes in iis requis-  
 itæ. ib. numerus augetur nimium. 315. non sint Clerici. ib.  
 differunt à Procuratoribus. 316.  
**Alienatio** bonorum ecclesiasticorum quibusnam olim licita. 206.  
 interdicta. ib. quid sub ea comprehenditur. 208. quibusnam  
 ex causis, & solemnitatibus fieri potest. ib. & seq. à quibus  
 hæ causæ adprobari debent. ib. fieri nequit sine Episcopi,  
 aut omnino Papæ consensu. 209. aut non consentiente Prin-  
 cipe, & Patrone. 210. tria ad eam requiruntur. ib. quæ-  
 nam suspecta. 211. si per eam læditur Ecclesia, est annul-  
 landa. ib.  
**Altare:** illud inter, & Ecclesiam olim distinctio. 189. quid  
 istud complecti putabatur. ib. ejus redemptio quid sit. ib.